



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

Capvt V. Ventos, nubes, pluuis, grandines, lucem, & tenebras, & quidquid  
in aëre mali speciem habet, ab hominibus habere; ac Dei potentiam &  
aequitatem prædicare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

## CAPUT V.

Ventos, nubes, pluuias, pruinas, grandines, lucem, & tenebras, & quidquid, in aëre, mali speciem habet, ab hominibus habere; ac Dei potentiam & æquitatem prædicare.

## §. I.

Aëris accusatores, & commendatores.



Atis dictum de aëre videri potest, postquam de tempestatibus, in aëre natis, dictū est. Sed restant multa, in compendio, percurranda. Aër enim reciprocandi spiritus spacium, non solum ad respirandum datus est, sed æquè etiam inter morborum ac sanitatis causas refertur; & ut Seneca loquitur, ex aëre omnis inconstantia tumultusq; est. Eo æstuante, ait Plinius & concalescunt, æstuant omnia, ex eo autem frigescunt nubila, grandines, pruina, imbres, procella, turbines, & plurima mortaliura MALA. Verum de morbis, deque pestilitate, aëris infectione, ac perustis veneno ventis, propagatâ, alius erit dicendi locus. Alios, cum Plinio, contra frigus eius; contra calorem alios, alios contra alia queri audimus. Quid tum? sunt, qui frigore delectentur; sunt qui capi-

Tertulli-  
an. l. cōtr.  
Valenti-  
nian. cap.  
23. Senec.  
2. natur.  
ca. 6. Plin.  
li. 2. ca. 38.

piantur calore; sunt, qui alterutro, sunt qui utroque, ad virtutē durentur. De Lappis & Finnis Septemtrionalibus scribit Zieglerus, in Scondia, aëris eos frigidissimi libertate non gaudere tantum, sed & juuari adeò, ut, quodocunq; in Sueciã, negotiorum causa, veniunt, nunquam domos intrent, sed sub dio tantum versentur, atq; cubent pelibus inuoluti. Obesi, & alij quoq; non obesi, hieme, & dum bruma riget, sunt saniores: resq; omnes frigido, quam calido celo diutius asseruantur.

## §. II.

*Aëris, per imbrem, beneficia.*

At ex aëre pruina descendit? Quid tum? descendit & ros, in teneris pecori gratissimus herbis. In aëre spiritus procellarum? In aëre vapores, & ex ijs nubes; ex his pluuiæ, niues, grandines, si magis magisque constringantur? Quid tum? ibi est & officina fertilitatis: Aristotel. l. Meteor. cap. 9. 10. 11. 12. inde imbres, velut per cribrum, guttatim terram irrigant; inde niues, semina, tanquam lanæ, per hiemem, conteguunt. Et qui nescit, quid sit pluuijs carere, Eliæ historiam legat, in qua inueniet has minas & pœnas: *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, non erit, annis his, ros & pluuia.* Alibi autem, inter

3. Reg. 17.

1.

ter

ter beneficia, imbres numerantur, precibus  
 3. Reg. 8. à Numine impetranda. *Si clausum fuerit ca-*  
 35. *elum, & non pluerit, propter peccata eorum, &*  
*orantes, in loco isto, poenitentiam egerint nomini*  
*tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint, propter*  
*afflictionē suam: exaudi eos, de celo, & dimitte*  
*peccata seruorum tuorum, & populi tui Israël:*  
*& ostende eis viam bonā, per quam ambulent;*  
*& da pluuiam super terrā tuam, quam dedisti*  
*populo tuo in possessione. Tria indicantur hic.*  
 Primò, pluuias suspendi, & claudi cœlum,  
 propter peccata. Secundò hanc ipsam poenā  
 siccitatis esse mortalibus in medicinam, ea  
 enim ad poenitentiam adducuntur, & docen-  
 tur, ex oculis imbres lacrymarum fundere,  
 si velint, fundi imbres de cœlo. Tertiò, plu-  
 uias oratione & poenitentia impetrandas,  
 tanquam beneficium. Quare, alio loco, di-  
 citur: *Speciosa misericordia Dei, in tempore tri-*  
 26. *bulationis: quasi nubes pluuiæ in tempore sicc-*  
*tatis. Si pluuiæ beneficium est, quo modo*  
 malum? Si à DEO *imbrium pincerna*, vt Basi-  
 11. *lius Seleuciæ loquitur, quomodo, aut cur*  
*pincernæ irascimur, cū & Reges pocillato-*  
*res suos ament, ac præmio afficiant? Et vel*  
*hinc agnoscant mortales, pluuiarū ac tem-*  
*pestatum, justā illam causam, facilem, vin-*  
*cibilem, optimam.* §. III.

## §. III.

*Iosephi Anchieta & Marci Senensis de pluvia  
responsum.*

Iūno ex Elia discant, DEVM subinde Sanctis suis tradere habenas pluuiarum. Exemplum est recentissimum, in nostro Iosepho Anchieta, qui aliquando *iussit apparari reditum in crastinum. Erat tempestas turbida, densus imber, grauisq; ortus sub vesperam, nunquam cessauerat: & duraturus noctem totam videbatur. Obiecit ei comes: opportunam sanè, Pater, tempestatē ad iter elegisti. Cui Iosephus: Utinam tam simus ipsi viri boni, quam de nobis Deo cura est; non enim tantum die crastino, imber molestus nobis nullus erit, sed ne nunc quidem, tempestate tanta, ullus est, quā sumus cras iter facturi. Postero die iter manè ingressi, ad vicum S. Barnabæ, qui tribus inde distat leucis, quacunque inerunt via, tota, ad latitudinem triginta passuum solum siccum, ac nullo tentatū imbre, ad vicum usq; inuenerunt, cū circa loca omnia nocturnā pluiā maderent. At non omnium est hæc potestas? Vexantur pluuijs multi? ita est. Hoc hominis meruit præuaricatio. Si in originali iustitia mansisset, mansisset in Paradiso, quem locum fons, in quatuor flumina diuisus, non molesti imbres irrigassent. Eò*

homi-

Sebastiã.  
Beretar.  
li. 4. vitæ  
Iosephi  
Anchie-  
tæ,

Caspar.  
Ens. li. 2.  
Epidorp.

hominem inuitavit, & posuit; sed inde, ob repudiatam gratiã, exclusit. Faciant id homines, & DEVS contemptũ suum ferat? *Petrus Marcus Senensis amicum, celo admodum turbido, & non pluuias tantum, sed grandinem quoq; minante, iter facientem amatissimis verbis, ut in ades suas, quoad præterisset tempestas, diuerteret, inuitarat, is verò nihilominus iter prosequens, cum vix octauam milliaris partem emensus esset, tam effuso imbre, tamq; turbulenta tempestate exceptus fuit, ut pergere amplius nõ posset. Reuersus igitur ad Marci villam, fores pulsat; ac prospicienti è fenestra Marco, Amice, inquit, prius illud meum propositum mutavi. & ego meum, respondit Marcus: statimq; se subduxit, sic illi alibi hospitium fuit querendum. Voluit benignus mundi Conditor nos homines secũ esse, in Paradiso, quasi in villa sua, in qua deambulauit ad auram, post meridiem; ibi fuisset, ab imbre, & grãdine tuti. Sed spreuimus locum, serpenti, quam DEO obediẽtiores: idcirco nos ipsos exclusimus, celo turbulentiore digni. Habemus ergo, quod volumus; & patimur tempestates. At mutauimus propositũ, & vellemus nunc libenter in Paradisum admitti? mutauit igitur & DEVS, propositum suum, nec vult nos amplius*

Gen. 3. 8.

amplius eò admittere: immo non mutavit: siquidem ab æterno, vno eodémque proposito, voluit nos iustitia originali ornatos ibi degere, spoliatos, inde in exilium pellere. Servassemus itaq; locum, si servassemus conditionem. Amissa gratia, cur expostulemus, si celo mitiore non fruamur, qui celum ipsum amiseramus? Et quam molles sumus, si aquarum aspergine lædi nos existimemus?

§. I V.

*Ventorum vis & varietas.*

At in aëre pugnantes variorum nominum venti fremunt, qui arbores à radice extirpant; silvas ac nemora prosterunt; classes disijciunt, tecta tegulis exuunt: fenestras perfrangunt; domos ac ædificia tota, quin & maxima urbium, turrèsque ipsas aliquando evertunt. Ut alia taceam, testatur Herodotus, Prefectos Xerxis, triduana tempestate, 400. naues amisisse. Quid tum? Hæc est potentia DEI, qui, si leuissima exhalatione tantam vim exerit, quid poterit, si ferro & igni, contra nos, pugnet? Sed est ventorum insuper ingens utilitas, maxima necessitas. Sunt enim etiam vermiculum & vehiculum nubium atque pluviarum, in aëre; hominum & navium in aqua; sunt aëris & aquæ ipsius con-

De ventorum nominibus Aristot. lib. de Mund. c. 2. Plin. li. 2. c. 47. Herod. lib. 7.

S. Chry-

serva-

Iost. in seruatores; nã sine motu corpora ista com-  
 Psal. 134. putrescerent. Sunt laborantium refrigera-  
 tio, & æstuantium voluptas. *Nulla propemo-  
 dum regio est, qua nõ habeat aliquem flatum ex  
 Senec. li. se nascentem, & circa se cadentem,* ait Seneca.  
 5. nat. qq. An sine caussa? caussam vnicam è vicinia di-  
 cap. 18. scamus, de qua vulgatissima est: *Austria ven-  
 tosa, aut venenosa.* Alias caussas Seneca recen-  
 set, cùm de diductione nubium, & de diui-  
 sione imbrium agit. Ait enim *in Italiam Au-  
 stler impellit, Aquilo in Africam reicit.* *Etesia  
 non patiuntur, apud nos, nubes consistere: Iidem  
 totam Indiam, & Ethiopiam, continuis, per id  
 tempus, aquis irrigat. Quid, quòd fruges perci-  
 pi nõ possunt, nisi flatu superuacua admixta ser-  
 uandis ventilarètur, nisi esset, quod segetem ex-  
 citaret, & latentem frugem, ruptis velamentis  
 suis, que folliculos agricole vocant, adaperiret?*

## §. V.

*Ventorum vi, contra Pharaonem, allata  
 locusta,*

Extra naturæ ordinem nonnullis DEVS  
 subinde regionibus, aut terris ventum indu-  
 cit, vt cum illo, pro iustis pugnet, Qua in re  
 beneficium maximum connectit, cum sup-  
 plicio impiorum. Ad hunc modum *extendit*

Exod. 10. *Moyse virgam, super terram Egypti, & Do-*  
 13. *minu*

minus induxit ventum vrentem, tota illa die  
 & nocte, & manè facto, ventus vrens leuauit  
 locustas, qua ascenderunt super vniuersam ter-  
 ram Ægypti, & sederunt in cunctis sinibus Æ-  
 gyptiorum innumerabiles. Quales, ante illud tē-  
 pus, nō fuerant, nec postea futura sunt. Operue-  
 runtque vniuersam superficiem terra, vastantes  
 omnia. Ventus has locustas attulit, in pœnā  
 peruersorū; in bonorum defensionē. Quo-  
 rum vtrumque bonum quoddam est. Nouit  
 enim simul diuina potētia, *Parcere subiectis,*  
 & *debellare superbos.* Ecce quales instruxit aci-  
 es, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Do-  
 minus, pugnando pro Israël, in Ægyptios; ait

Rupert:  
 li. i. Com-  
 ment. in  
 Exod. ca.  
 38.

Rupertus. Locustæ hæ, in Ægypto, genitæ  
 non fuerunt, sed extra, in desertis Arabiæ,  
 vel Æthiopiæ locis. Vento igitur in Ægy-  
 ptum fuerunt deportandæ, & vento vrente,  
 vt scriptura loquitur, quem rectius Philo  
 existimat, fuisse Austrum: cum & LXX. in-  
 terpretēs eum *Notum* appellēt; & non sub-  
 solanus Oriētalis, sed *Auster sit vētus vrens.*  
 Quam potens tunc pariter & sapiens fuit  
 ira DEI, contra superbiam Pharaonis, non  
 ferro armatas, & hastato milite onustas  
 classes aduocans; sed ita leuis armaturæ co-  
 hortēs adducens, vt possent à vento porta-

Loc. cit.

ri? Rane, ait idem Rupertus, Sciniphes, musca, atque locusta fuerunt castrorum eius acies, & huiusmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios composuit legiones. Singuli milites, secundum se, breues quidem & infirmi, verum, pro exercitibus Pharaonis, satis valentes fuere, duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset, ista Phalanges locustarum strenua peregere militia. Operuerunt enim uniuersam superficiem terra. Quamobrem festinus Pharaon, tanquam ad deditiorem, vocauit Moysen & Aaron, duces tanti exercitus atque Primates Imperatoris Dei. Rogate, inquit, Dominum Deum vestrum, ut auferat mortem hanc a me. Hoc velut deditius dixit. Nonne magnus & excellens est Imperator, qui vento potest suos hostes difflare? vento milites aduehere? & tali milite victoriam obtinere? Incredible nonnullis videtur, militem alicubi cataphractum vento, in aëra, fuisse sublatum. Totos Deus exercitus, vento, de regione, in regionem, transfert, ut expugnet ventosos.

## §. VI.

*Ventus quid fecerit in mari rubro siccando?*

Quin ipsa quoque maria vento difflat, ut

Exod. 14. 2 l. viam faciat transitoris. Nam, cum extendisset

disset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente, tota nocte, & vertit in siccū: siue tunc ventus magno impetu incurres, seu percurrens scissas, per medium, aquas extruserit, in vtrumque latus; viamq; vndis nudarit, in parietum morem vtrinque; Angelica manu, re- tentis, siue virtute vrendi siccandi; aquas absumperit; siue aquis Angelorum ministerio, in vtrumque latus, muri instar, erectis, humidum, limosum & lutulentum fundum siccarit duntaxat. Quem ventum textus Hebraicus *Orientalem* vocat. Hebraei enim tunc iter, contra orientē faciebant, & contra mare rubrum, quod Ægypto est orientale. Igitur vento factū est, vt mare, sine nauibus, posset transiri; & vento, vbi mare non cedit, naues impelluntur: quæ, vt in omnes partes possent agi, variæ sunt ventorum stationes.

## §. VII.

*Ventorum Dominus est solus Deus.*

Hæc, & plura eiusmodi ventorū com- moda, Theologi, Philosophi, & cum illis, Eugubinus, enarrant; vt proinde meritò illi, inter DEI thesauros enumerētur, qui e-  
*ducens nubes ab extremo terra; fulgura in plu-*

Eugub. li.  
7. peren.  
Philo-  
soph. cap.  
vlt. Psal.  
134. 7.

G 3 niano

*niã fecit: Qui producit ventos de thesauris suis,*  
 ad quorum motum, & caussam rimandam,  
 multi accesserunt, nemo adhuc penitus per-  
 uenit. Solus DEVS verus, (nō Æolus aliquis,  
 aut Neptunus,) eos habet in potestate; vel  
 inde agnoscendus viuere, ac spirare. Sicut,  
 quando Christus surgens imperauit ventis &  
 mari, & facta est tranquillitas magna. Porro  
 homines mirati sunt, dicentes: *Qualis est hic,*  
*quia venti, & mare obediunt ei?* Hoc vento-  
 rum dominium ad solum DEVM pertinere,  
 iam tum etiam diuinę indolis puer agnoue-  
 rat, B. Aloysius Gonzaga. Siquidem Iacobū  
 Principem, etiã tum paruulum, è fenestra pro-  
 spectantem, ventus vehementiori flatu incesse-  
 bat: cui ille pueriliter indignabundus: *HEVS*  
*vente, inquit, impero tibi, vt molestiam mi-*  
*hi exhibere desinas. Tum Aloysius, qui proxi-*  
*mus astabat, opportunitate vsus: Potes, inquit,*  
*Domine, homines, dictis obediētes nanci-*  
*sci, in elementa autem solius DEI imperium*  
*est, cui & te parere oportet. Rex, vti de om-*  
*nibus filij rebus solebat, ita de hoc quoque man-*  
*dato, quod vento dederat, atque de Aloysij apo-*  
*phtegmate certior factus, in loco, & prudenter*  
*dictū esse iudicauit. Solius enim DEI in vētos*  
*est potestas, quam sanè luculentā ostendit,*  
 teste

Matth. 8.  
 26.

Virgil.  
 Cepar-  
 us. De  
 vit. B. A.  
 loysij lib.  
 1. cap. 7.

reſte Sigiberto, Anno 1081. cū campanile  
Eccleſiæ S. Petri Maldemburgenſis, in Belgio,  
(quam, ipſo Apoſtolo ſibi reuelante extruxerat,  
& conſecrârat S. Vrſmarus Epicoſopus) vehe-  
menti vento flante euulſum, inq̄ terram inuer-  
ſum, ita in aëre penderet, ut tum ſui ipſius, tum  
vicinorum omnium ruinam minitaretur, popu-  
lūſque in 6. dierum, totidēmq̄ noctium ſpatio  
tractaret, quanam ratione, hinc inde extractis  
machinis, ſurſum erigi poſſet; ecce prid. cal Ian.  
circa noctis medium tota Eccleſiæ intus ac foris  
luce ignea diuinitus impletur: ipſum verò cam-  
panile totū ſimul erigitur, ſuiſque in ſedibus fir-  
miſſimè, campanis mox ſonantibus, reponitur.  
Hoc imperiū in ventos, ſolus DEVS habet.

## §. VIII.

An, & cur Deus etiam magis, in ventos per-  
mittat poteſtatem?

Vel fabuloſum igitur, vel Magicum fuit,  
quod Suidas refert, cū aliquando Eteſiæ  
ita vehementer flarent, ut fruges ſternerēt,  
Empedoclem Agrigentinum, nouo philoſo-  
phandi genere, juiſſe aſinos, animal ſine  
fraude doloq̄, excoriari, & vtres fieri, eōſque  
in promontorijs extendi, ut ventum utiq̄  
aſininum exciperent. Quo ſopito, appella-  
tus fuit *καλυσανέμας*; quaſi prohibitorum ven-

torum dicas. Sifti enim, & excitari, si DEVS permittat, etiam dæmonū arte, ventos, non solum vtres Vlyssi, alijsque dati, & nodi sudariolorum vincti, vel soluti, ac ventū in silentia ligantes, vel in maria emittentes, venditi, sed ipsæ etiā diuinæ litteræ docent; in

Iob. 1. 19. quibus ad Iob dicitur: *ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt. Quæ, mali genij suggestione & opere, facta sunt; non tamen antè, quàm DEVS illi diceret; Ecce uniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* E quibus, instruimur, ventos & tempestates cieri quidè à malignis spiritibus, qui ministri sunt pariter & rerum aduersarum procuratores; non posse autè cieri, nisi potestate concessa ab eo, cui summū imperium est in ventos, & omnem creaturam. Permittit autem eam potestatem, vel ad castigandos homines; vel ad probandos; vel, si peruicaces sunt, vt impleant numerū ac mensuram peccatorū. Perinde autem est, seu immittantur, hac arte, venti, seu inhibeantur; vtroque modo nocere possunt: cum sit & procella, & malacia nauigantibus periculosa.

## §. IX.

*Et nixium, & nullum ventum nocere posse,*

Ni.

Nimirum verè aurea est mediocritas; & in omni re, nimis multū, & nimis parum est perniciosum. Hinc Anno 1135. nimius ventus multas turres atque ædificia subuertit. Sed & subtractio venti est exitiosa. Quo pacto Eunapius tradit, vrbe Constantinopolitanâ in magnam rei frumentarię difficultatē adductâ, naues in diuersas dimissas fuisse partes, quæ frumentum deueherent. Hæ, cum onustæ rediissent, appelli ad littus, deficientibus ventis, nulla vi potuerunt. Quo cognito, populus vndiq; ad theatrum, sæua famis stimulatus rabie, conuolauit. Tum Constantinū M. ea de re animi anxium, & tempestatis aduersæ rationē exigentem, æmuli, Sopatri Apamensis Syri sophistæ (qui propter insignem sapientiam, in aula Constantini ad inuidiam eminere conspiciebatur) in primisque Ablaius præfectus prætorio adierunt, atq; ita eū affati sunt: *Quòd ventos votis refragari tuis vides, id scito Sopatri, quem tu tantis honoribus extulisti, peregrinâ & perniciosâ nobis sapientiâ fieri: is enim, qui Lunam potest de celo deducere, eadem arte sua, ventos deuinxit; & quò minùs nauibus aspirent, arcanis quibusdã verbis inhibuit. Quâ re auditâ, ille offensus, Sopatrum properè*

comprehendi, duci, ac securi percuti iussit. Adeò Magicæ artes exosæ & detestabiles erant Constantino, vt eas, siue per calumniam fictas, siue veras, ne in charissimo quidē, atque doctissimo viro, vellet tolerare.

## §. X.

*Tempestatum potentes femina punita, & puniende.*

Sprāger.  
lib. quin.  
que Ini-  
quisitorū.

Nec nostra ætas tolerat, apud eos, qui & iustitiæ sunt amantes, & sciunt, se damnorum, per veneficos, & veneficia illatorum, vel iudices, vel participes esse oportere. Narrat Sprangerus, Año 1488. in Constantiensi diocesi, etsi coloni sedulò fecissent, tamē ventos, procellas, grandines, fulmina, & tempestates malas extitisse, quæ fruges omnes in agris, quatuor miliarium spacio, perdidit. Inspexit querelam magistratus. Megaræ comprehensæ sunt duæ, Anna de Mindelē, & Agne; eę seorsim confessæ sunt, se, vno die, in agrum, cum pauxillâ aquâ, processisse: &, quamuis vna consiliū nō sciret alterius, effodisse scrobem, atq; sub meridiem, aquam scrobi infusam conturbasse, adhibitis coniurationū formulis, & magicis procurationibus: quibus absolutis, simul ac domum reuertissent, procellam extitisse.

Eant

Eant nunc homines, & dicant : *aër ventos*,  
*aër grandines parit*. ipsi hæc homines pari-  
unt. Sed & puniunt illi, qui nõ consentiunt:  
consentiunt, qui non puniunt, cū possunt.  
Nam, eodem teste scriptore, alia saga agri  
Constantiensis, cūm videret, omnes sui pa-  
gi incolas, in nuptijs lætissimè conuiuari,  
saltare, tripudiare, ægrè ferens, se prætermis-  
sam, & ad hæc gaudia non inuitatā, procu-  
rauit, vt, clara luce inspectantibus pastori-  
bus, per aërè, ab Orcino hirco, ad Phryxi &  
sororis eius modum, in collem exportare-  
tur, pago propinquū. Ibi, cūm ei alia aqua  
deesset, mundissima Orci Nympha lotio  
scrobem impleuit, illudq; pulmentum bacil-  
lo, an furcā, in gyrū ter tertium commo-  
uens, voces quasdā arcanas admurmurauit.  
Mox cælo, quod sudum serenūmq; fuerat,  
nubibus atris obscurato, venti ac grando, in  
saltantes, vehementissimè sæuierunt, &, ti-  
bicinū vice, functi, nuptiatores, extra cho-  
rum, atq; sub tecta saltare inuitos coege-  
runt. Saga domum, cornuto equo ligneo,  
reuecta, indicio pastorum, capta, viua igni  
fuit tradita, vt flammis lueret, quod aquis  
peccauisset. Hoc hominū genus accusemus,  
si ad votum nostrum non faciunt elementa,  
quæ

Et Bodin.  
lib 2. De  
mon.  
cap. 8.

quæ bona esse mali non patiuntur. Ab hominibus discunt sæuire.

## §. X I,

*Ipsos sæpe homines ventorum ac tempestatum,  
& tenebrarum esse procuratores.*

Senec.  
lib. 5. natura. qq. c.  
18.

Sapienter Seneca ait: *Non queri possumus, de auctore nostri Deo, si beneficia eius corrumpimus, & ut essent contraria, efficimus. Et rursum: Si beneficia natura, utentium prauitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum est? Nihil inuenies tam manifeste utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros inuenerat; ipsi illos contrarios fecimus. Neque venti tantum irritantur, sed etiam lucidus aër, quem tenebriones, atrocissimorum auctores facinorum, & opera tenebrarum obscurant. Refert enim M. Paulus Venetus, Tartaros adeò pollere dæmonum præstigijs, ut quasi lumen de cælo reuellant, tenebras, cum velint, & ubi velint, inducant, diemque ipsum extinguant, quare non neminem, à latronibus, hac arte circumuentum, vix euasisse; alios, velut loliginem sepia tectam, ita caligine velatos effugere, nec ab ullo cer-*

Vide &  
Cardan.  
de subtili.  
lib. libr.  
de demoni-  
b.

ni. Cui rei testis accedit Haitonus vir gra-  
uis, qui in sua Sarmatarū historia, inclinātā  
iam aciem Tartarorū, in prælio, vexillarij  
præcantatione, dum tenebras offunderet  
obscurissimas, restitutā, & victricē factam,  
litteris prodidit. Ab hominibus ipsis hæc,  
in aëre procurantur; sua ergo, non DEI ope-  
ra, accusant, quando aërem caliginosum ac-  
cusant; quia ipsi, cū malè agant, dile-  
xerunt magis tenebras, quàm lucem, & lu-  
ce, & tenebris abutentes. Nam omnia, pra-  
uis, fiunt *in arcum prauum*, qui telum re-  
torquet in jaculantē: ita enim & illi lædun-  
tur ab vsura omnium creaturarum.

## §. XII.

*Tenebris homines, in multis rebus etiam bonis,*  
*ianuari.*

Alium in finem, aliū in vsum mundi Ma-  
chinator diuisit lucem à tenebris; quando ap-  
pellauit lucem diem, & tenebras noctem. Nam  
vtriusque author est DEVS, cui dicitur:  
*Posuisti tenebras, & facta est nox;* itemque:  
*Tuus est dies, & tua est nox.* Vnde iure alij,  
atque ex debito cecinerunt: *Benedicite noctes*  
*& dies Domino.* Quid ita? quia plurimas &  
ipsa nox habet utilitates. Eo tempore, aër,  
terra, aquæ, bestia, & homines, à diurnis æ-  
sti-

Psalms

77.

Gen. 1. 4.

Psal. 103.

20.

Dan. 3.

71.

sti-

stibus ardentes, refrigerantur. Eo tempore, mortales quietiùs dormiunt. Eo tempore, qui nauigant, stellis iter metiuntur. Eo tempore, qui orant, collectiùs meditantur. Eo tempore pisces copiosiùs solent capi. Vnde

**Luc. 5. 5.** & Apostoli *per totam noctem* piscantes, laborauerunt. Eo tempore, multi opera pia exercēt, quę interdiu facere non sinerentur.

**Tob. 2. 9.** Qua de caussa & Tobias *rapiebat corpora occisorum, & occultabat ea in domo sua, & medijs noctibus sepeliebat ea.* Atque vt etiam ad militiam veniã, eo tempore, tradit Frontinus, Iugurtham regem Numidarum prælia inijsse, semperque inclinato die, configere solitum; vt, si exercitus suus fugaretur, opportunam noctē haberet ad delitescendum.

**Sab. lib. 6. En. 10.** Quam etiã habuerunt Christiani illi, quos Haytonus auctor est, in Georgianæ gentis monumentis proditum esse, in Alaniam compulsos, impia Sauorini Persarum regis insectatione. Imminente autem fugientium ceruicibus hostili ferro, extemporali miraculo euenisse, vt profuga multitudo tenebris sit repentē obseptā, in munitissimi valli speciem. Ita tenebræ, quos texere, etiã protexere. Ita bonis nox noxia non fuit. Cuius rei gloria penes **DEVM** est; qui tantæ est pot-

ten-

tentia, vt non tantum creaturas habeat obedientes, sed ipsas etiam priuationes creaturarum; quibus ex luscis cecos facit: tametsi tenebre creatura non sint. *Nam lux quidem*, ait S. Gregorius Nyssenus, *vt esset, diuinum mandatum expectauit, tenebrae autem extiterunt, sine mandato*, cum mundus crearetur.

S. Greg.  
Nyssen. l.  
Hexam.

## §. XIII.

*Tenebris illuminatum S. Dionysium Areopagitam.*

Quin ipsis quoque tenebris, & extraordinaria eclipsi, nouit DEVS, vti ad homines illuminandos. Christo patiente, plus, quam ad Thyesteam mensam, sol coherescens radios lucemque resorbuit; dies expalluit; &, à sexta hora, tenebrae factae sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terra motu, & his, quae fiebant (tenebris) timuerunt valde, dicentes: *Verè filius Dei erat iste*. Quod Centurioni prope crucem, id Dionysio Areopagitae longè dissito contigit; qui eadem solis defectione lumen ad reuelationem gentium datum coepit videre. Rem ipse, cum in Apollophanem Philosophum inuehitur, his verbis memorat. *Quid de illo, qui tempore crucis domini-*

Matth.  
27.45.

Dionys.

ca fa-

Arcopag.  
ad Poly-  
carp. Ba-  
ron. tom.  
1.

ca factus est, solis defectu dicturus es? eramus tunc ambo, apud Heliopolim, amboq; simul incidentem mirabiliter soli Luna globum notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus) ipsamq; rursus, ab hora nona, ad vesperam, ad solis diametrum, supra natura vires, restitutam. In memoriam autem illius, renoua etiam aliud quoddam: nempe enim, (ut ipse non ignoras) eam Luna incidentiam, ab oriente cepisse, & vsque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resiliisse, notauimus: neq; verò eadem ex parte, ut assolet, & incidentia illa, & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri.

S. Dionys.  
Areop.  
op. epist.  
ad Apollophan,

Idemque, de eadem re, scribens ad ipsum Apollophanem, agit his verbis. Heliopoli tu quidem penè mihi coeui, & ego quinque & viginti ferè annorum tempus exsoluens, una morantes confederamus, cum feria quadam sexta, & hora etiam penè sexta, Sol horribilibus subito est obsitus tenebris, Luna ipsum intercurrente: quia non Deus, sed creatura Dei, in ipsius veræ lucis occubitu, lucere non potuit. Quarebam enim tunc, apud te, qui mihi sanè sapientissimus videbaris: quid ipse inde sentiret? tu verò mirabili prudentia subintulisti, quod vsque adeò penetrabilibus mentis mee inhaesit, ut nulla obliuione deleri, nulla unquam valeat mortis imagine deleri.

leri. Offusi enim tenebris ipsi erramus, orbem solis, undiquaque, & ex aequo, occupante caligine: & postquam repurgatio, & restitutio facta est, Luna ad Solis diametrum conuersa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridei assumpsimus. Cumq; reperissemus, quod & erat notissimum, eo tempore, solem eclipsis molestias laboresq; minimè perpeti debuisse, ac nihilominus Lunam ab occidente solarem splendorem pullis nigrantibusq; velis obduxisse: cum soleat ex occidua parte solem ingredi: tunc autem opifices lucis thesauros caliginibus, quas ipsa genuerat, ad occiduos vsque solis fines, peruagata (ut ipsi putauimus) occultauit: Cum tamen, & luna tempus deesset, nec coitus vicinum tempus esse, cognosceretur. Aio ad te (neque enim adhuc mysterij tanta rei conscius erā) O ingentis prudentiae promptuarium, quid, inquam, ô Doctrinae speculum, Apollophanes, his secretis adscribis? Ad haec, nescio quo pacto, diuino quodā afflatu, & non humani sensus sermone subintulisti: Haec, ô bone Dionysi, diuinarum vicissitudines sunt rerum. Deniq; verò adnotatum diligenter feria diem, & annum annuntiatione, qua sacer Paulus nostris attētis auribus infudit, consentientibus signis conspirare, & concordare expertus, man⁹ veritati submissi, & ex falsitatis nexi-

H

bus

bus subabsolutus, quam quidem veritatem mirificè effero, quam & tibi communico. Hæc de se S. Episcopus Dionysius, & de Apolophane: quibus vtrisque voluit ille, qui lucem habitat inaccessibilem, per tenebras innotescere; & vni quidem innotuit, alter verò, quia, in ipsis tenebris, tenebras suas magis, quàm lucem amavit, veteri amico occasionè præbuit, per eas ipsas tenebras, diuinam lucem prædicandi. Itaq; non solùm solis splendore, per aërem diffuso, sed ipso etiam solis defectu, & caligine vititur DEVS, ad fidei lumen mortalibus inferendum. Qui enim à luce non dependet, illi perinde est, de qua re illuminare.

## §. XIV.

*Quàm horrenda fuerint tenebra, quibus Aegyptij fuere puniti?*

Quanquam non rarò his etiam instrumentis vititur, tam ad seruos suos illustrandos, quàm ad obscurandos hostes, & plectendos; docendosque, & quas olim in inferno passuri sint, & quas iam, in animo tenebras patiantur. Quem in finem, dixit Dominus ad Moysen: *Extende manum tuam in cælum, & sint tenebra super terram Aegypti tam densa, ut palpari queant. Extenditque Moyses manum*

Exod. 10.  
21.

manum in calum, & factæ sunt tenebra horribiles, in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat, ubicunque autem habitabant filij Israël, lux erat. Vbiplura sunt consideratione digna. 1. Tenebras has non accidisse, absentia Solis, sereno enim die, repente offusæ sunt; quæ diurnæ, vt magis insolitæ, quàm nocturnæ, ita fuere etiã mirabiliores. 2. Nec accidisse defectu maiore solis, seu eclipsi; conspecta enim essent tunc aliorum siderum lumina, cum tamen Ægyptij omni lumine priuati memorentur, nec potuisset eclipsi naturalis vel vnam horam, ne dum tribus diebus perdurare. Præterquam, quod non in Ægypto tota, sed vbiq; eclipsi soleat esse, & generalis. 3. Verisimilius loqui Philonem, cuius hæc sunt: *Sereno die, repente offusa sunt tenebra, continuis densisq; nubibus calum subtexitibus, & nimia constipatione, interclusis radijs siderum, vt dies nihil differret à nocturna caligine.* Ob quam caliginosi aëris densitatem dicitur, alio loco: *Nec siderum limpida flamma illuminare poterant noctem illam horrendam.* 4. Hinc etiã, ob eandem spissam multorum crassissimorumq; vaporum eleuationem, aër ita fuit condensatus,

Philo:  
lib. 1.  
de vita  
Moylis.

Sapi. 17. 5.

tus, ut tactum admitteret, fieretq; palpabilis. Neque enim aliter tenebræ esse palpabiles potuerunt; cum corpus esse debeat, quod palpatur, non priuatio; neque tenebræ tactu, sed visu percipiuntur; oculis, non manibus, deprehendendæ. Certè ob magnitudinem obscuritatis, homines, more cæcorum, palpando parietes ingredi cogebantur. 5. Ob hanc caliginem & diurnam, diurnamque noctem, *Nemo vidit fratrem suum*: non quia impedita erat oculorum acies, quasi essent Ægyptij cæcitate percussi,

Gen. 19. vt Sodomitis, & militibus regis Syriæ contigit. Medio enim nõ lucido, aut pellucido,

4. Reg. 6. nemo quidquam, nisi noctuæ aut felis oculos habeat, videt. Quemadmodum, in Sicilia, etiam euenisse scribit Cicero, his verbis:

Cic. lib. 2. de Nat. Deor. *Nos tenebras cogitemus tantas, quanta quondam eruptione Æthnaorum ignium, finitimas regiones obscurauisse dicuntur, ut per biduum nemo hominẽ homo agnosceret. Cùm autem, tertia die, sol luxisset, tunc, ut renixisse sibi viderentur.* 6. Ob hanc ipsam aëris densitatem, ignis nulla vis poterat illis lumẽ præbere. Adeoq;

Sapi. 17. 5. non iuuabat, faces, tedas, lucernas, cereos; aut lampades accendere, in remedium tenebrarum; vel quia omne lumen artificiosum

fum illico extinguebatur; sicut fit in metalli  
 fodinis, quando aër non ventilatur: vel quia  
 caligo illa ita fuit densa, vt cuiuslibet lu-  
 cis aspectû auferret, nec ab vlllo lumine pos-  
 set penetrari. 7. Ob hanc caussam, nemo  
*monit se de loco, in quo erat*, toto illo tri-  
 duo. Putant nonnulli, penitus immobiles  
 fuisse; alij, de loco, in locum non migrasse;  
 alij, de domo in domû non egressos; Philo,  
 non esse ausos se mouere loco, ne offende-  
 rent; aut, si necessitates corporales vrgerêt,  
 ægrè ingredi potuisse, & non, nisi parietibus  
 palpatis; ac instar cochleæ cornua proten-  
 dentis, quauis re obuia, iterum sub testâ re-  
 uocâda. Quod vtiq; tenebris ascribi potest.  
 Crassi<sup>9</sup> illud est, quod nonnulli putant, tan-  
 tam fuisse crassitiem densitatémque aëris,  
 vt, cum aspectu lucis, motum progressiuum  
 impediret. Non impediisset gressum tan-  
 tummodo, sed ipsam etiam respirationem;  
 cùm vel aqua suffocet, quam tamen possu-  
 mus superare gradiendo. Verissimè dicitur,  
 Ægyptios, præ metu, se non ausos esse mo-  
 uere. Metum tenebræ conciliabant, & in te-  
 nebris auditi horribiles sonit<sup>9</sup>, & visa mon-  
 strifica. *Sonitus*, ait Scriptura, *descendens, per-*  
*turbabat illos, & persona tristes illis apparen-*  
*tes,*

Sapi. 17.

4.

H 3

tes,

tes, paucorē illis prestabant; & transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti tremebundi peribant. Ob has causas pauefacti, metuebant, si se mouerent, ne quā primū

**Ibid. v. 18.** perirent. Itaque una catena tenebrarum omnes erant calligati: & longa noctis vinculis compediti tenebantur, in carcere, sine ferro reclusi. 8. Ne quis autem putet, in tam densis tenebris, Aegyptios tam terrificā monstra videre non potuisse, addit diuinus textus:

**Sapi. 17. 6.** Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus, & metu perculsi illius, quæ uidebatur, facies,

**Ibid. v. 1.** existimabant deteriora esse, quæ nō uidebantur. Magna sunt enim iudicia, tua Domine, ait ibidem Scriptura, & inenarrabilia uerba tua: propter hoc indisciplinata animæ errauerunt. Dū enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarū, & longa noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiuæ perpetuæ prouidentia jacuerunt.

## §. XV.

Quā mirabile fuerit, inter Aegyptiorum tenebras, Israëlitis lucem non defuisse?

**Ibid. v. 20.**

Talibus tenebris aër contumacē superbiam puniuit; cū interea omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur: solis autem illis super-

superposita erat grauis nox. Et quod plus est, in ipsa *Aegypto*, vbicunque habitabant filij *Israël*, lux erat. quod ingentis miraculi loco habendū est. Quippe *Hebræi*, in terra *Gessen*, cum *Aegyptijs* permixti indistinctè habitabant; erantque domus eorum vicinæ contiguæque domibus *Aegyptiorum*; vt intelligi potest, ex postibus, ad eas domos discriminandas, sanguine *Agni* illitis & notatis; ac cæde primogenitorū *Aegypti*, qui in domibus non signatis inueniebantur: itemque ex ijs, quæ, sub discessum, commodatò ab *Aegyptijs* vicinis *Israëlitæ* acceperūt. In eadem igitur platea, hîc *Israëlitæ*, ibi *Aegyptius*; immo non è regione tantùm, sed etiam proximè adsitis in ædibus eodem sæpè muro fultis habitauerūt. Et tamen, cum adeò prope, & in tam arcta permistione degerent, intra paucos passus, tantùm fuit discrimen, vt, vbicunque *Hebræi* essent, clarissima, lætissimaque luce fruerentur; vbi autem *Aegyptij*, quamuis *Hebræis* proximi, in densissimis, mœstissimisque tenebris versarentur, *Deo* aëris densitatem, & siderum radios ita moderante, vt *Hebræi* filij lucis, lucidissimo lumine, ac sole amœnissimo gauderent; *Aegyptij* plusquam *Cimmerijs*

Exod. 10.

24.

tenebris inuoluti, mortuos, aut certè inter  
ymbras, se esse arbitrarentur.

## §. XVI.

*Luce abutentes, Dei luce indignos esse.*

Quid est hoc aliud, quàm Deum bonis ad-  
esse, & à malis justissimè manum suam sub-  
ducere? Tantane affectum quenquam ho-  
minem esse audacia, vt Domino suo toties  
rebellis fieret, & Dominum semper conui-  
uere oportebat? Apud Romanos, teste Geli-  
lio, ignem à Flaminis Dialis domo, nisi in  
sacrū, efferri jus non erat. Et canones Apo-  
stolorum vetant, de Christianorū oleo lu-  
cernas Iudæorum, aut Gentilium incendi.  
Sic enim habet Canō septuagesimus: *Si quis  
Christianus oleum tulerit ad sacra Gentilium,  
vel Synagogam Iudæorum, festis ipsorum diebus,  
aut lucernas accēderit, de societate pellatur.* A-  
pud Phœdrum etiam indignissimè factum  
putatur, quando

Phædr. *Lucernam fur accendit ex arā Ionis,*  
l. 4. fab. 68. *Ipsūque compilauit, ad lumen suum.*

An non indignetur DEVS, si de sole suo vi-  
deat acceptam lucem conuerti, non solūm  
in vsus profanissimos, sed etiam sacrilegos?  
an non meritò diem extinguat? facemque  
illam auferat, in Creatoris laudes, nō in in-  
jurias

jurias conditam ac lucentem? An Pharao,  
 cum affeclis suis, dignus erat, quem vel sol  
 aspiceret? vel qui purum diem ipse intue-  
 retur? Ieremiam Prophetam innocentissimū **Ierem. 38.**  
 proceres, Sedecia regis permissu, in fossam  
 regis filij demiserunt, in qua collo tenus de-  
 mersus est, in cœno, vt caput solū extaret.  
 Et alij reges, à quibus offensi sunt, eos in car-  
 ceres obscurissimos conijciunt. Cur DEVS  
 Aegyptios tam præfractos in hanc Tænari-  
 am caliginem non compegisset, in qua, **Sapi. 17.**  
*una catena tenebrarū omnes erant colligati: & lon-  
*ge noctis vinculis compediti tenebantur, in car-*  
*cere, sine ferro reclusi?* Enimuerò potuit eos  
 etiam mittere in tenebras exteriores; quem-  
 admodum & Israëliticum populum suum  
 luce perfudit. Qua de causa Psaltes regius  
 DEVM ita alloquitur: **Psal. 17.**  
*Cū sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris. Et cum*  
*electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.* **28.**  
*Quoniam tu populum humilem saluum facies:*  
*& oculos superborum humiliabis.* Quis hæc ad  
 animum suum admittens, non malit, pro  
 DEO, quàm contra DEVM stare, & pugnare?  
 pro quo ipse aër stat, & pugnant mundi ele-  
 menta? Vsq̄ adeò non justè duntaxat aër  
 intemperijs agitur; verùm etiam ipsis nos*

intemperijs erudit, vt tales erga Creatorem simus, quales volumus erga nos esse alias creaturas.

## §. XVII.

*Tenebræ Aegyptiorum, tenebris peccatorum pares, & dignæ.*

Et tamen sunt, qui malunt Aegyptios quàm Hebræos, Pharaonem, quàm Moysen imitari, ita quidam profundè cœci sunt, & sensibus omnibus obtenebrati. Ad quas tenebras dispellendas, idem David orans ait

*Psal. 17. 31. Domine Deus meus, illumina tenebras meas.*

Quæ utiq; non erant tam densæ, vt illæ Aegyptiorum, & tamen à viro salutis amante timebantur, in exemplum eorum, qui cum sint in rebus ad virtutem pertinentibus noctuæ, tamen se aquilis putant esse perspicaciores. Ad easdem hominibus fugiendas & detestandas, Aegyptiæ tenebræ sedulò expensæ vtilis sunt. Nam vt illæ, teste Origene, significabant extremam Pharaonis, & Aegyptiorum cæcitatē, qui tot percussi plagis, tot icti prodigijs, totq; visis miraculis, nondum sapuerunt, neque DEI adhuc potentiam agnouerunt, vt voluntati imperioq; eius se submitterent: ita sunt hodièq; multi, suâ malitiâ, Numinisq; poenâ adeò mente exo-

te exo-

te exoculati, vt tenebræ eorum, hoc est, in-  
scientia grauis, errores phanatici, iudicia  
falsa & peruersa, hæreses turbulentæ, tan-  
quam nebula, palpari, & à quouis sano ho-  
mine liquidò deprehendi possint. Ita namq̃;  
*obscuratum est insipiens cor eorum*, vt odia ju-  
stitiam, vindictas generositatē; rapinas mi-  
litiam, blasphemias elegantiam; cædes ini-  
quas priuilegium; superbias honestatem;  
ebrietates quotidianas officium suum esse  
judicent; imò in circulis & poculis jactent.

Quæta caligo, quæ cæcitas, quæ rabies men-  
tis est, non erubescere, non videre turpitu-  
dinem furiosissimarum libidinum? nefanda  
flagitia, tanquam gloriosa facta, de seipso  
fingere, commemorare, prædicare? *Nonnum*  
*præceptum est*, ait S. Augustinus, Non con-  
cupisces vxorem proximi tui: & nona pla-  
ga Aegypti fuit caligo palpabilis. Nimirum ma-  
gne sunt animi tenebræ, non esse contentū vxo-  
re sua, sed alienam appetere, alienumq̃ polluere  
torum. Est profectò palpabilis cæcitas animi non  
aduertentis, nihil esse, quod magis doleat patiens  
injuriam istam; nec, quod minus vellet sibi fieri,  
qui eam facit. in qua sanè duplex est, tum in-  
temperantia, tum iniustitia crimen execrandū.

Detestamur Aegyptiorum cæcitatē, quo-  
rum

Rom. 7.

S. August.  
Exod. 20.

rum numina in hortis crescebant, qui lapides & ligna, & bruta, colebant, qui feles, qui boues, qui crocodilos profanissimâ religione adorabant. At quàm multi sunt, etiâ  
 Phil. 3. 19. non Aegyptij, quorum Deus venter est? & summum bonum Venus & Bacchus? Plutus & Cupido, cæca numina, & cæcantia? in quibus, quisquis delicias & libidines facit, non homo est, sed libidinosus caper, aut Epicuri de grege porcus.

## §. XVIII.

*Quàm horribiles futura sint tenebræ infernales?*

Nonne hæ tenebræ tenebras æternas merentur? Atqui istarum horrorẽ hominibus vt inferrent, tenebræ illæ Aegyptiæ, in diuinis litteris, tam graphicè describuntur; quæ, si horribiles fuerunt, longè profectò erunt istæ in Acherûte horribiliores. Illæ tenebræ densæ & tactiles fuerunt; erunt in inferno densissimæ. Illæ, nec absente, nec deficiente sole, cõtigerunt; in inferno, nullus erit, nec redibit sol, sed nox sempiterna. Illæ nubium constipatione natæ sunt; in inferno ater fumus lucem omnem eripiet; nisi quando, ad ingens damnatorum tormentum, metuendus ignis per acerbis vices, interlucebit; sic

cur

cut contigit, quando Aegyptijs *apparebat Sapi. 17. 6.*  
*subitanens ignis timore plenus: & metu percussi*  
*illius, qua videbatur faciei, existimabant dete-*  
*rriora esse, qua non videbantur.* In Aegyptijs  
 tenebris, nemo vidit fratrem suum; in infer-  
 no nox perpetua non aliter lucem excludet,  
 quam ne quidquam latum oculis appareat;  
 quæ tamen nox, vt dixi, suis interuallis, sul-  
 phureis crepusculis interrumpetur, vt dam-  
 nati, quidquid est triste, videre, quidquid ju-  
 cundum, non videre possint. In Aegyptijs  
 tenebris nulla lux poterat solatio esse, nul-  
 lum accensum lumē durare; in inferno, nul-  
 la erit diuina inspiratio, nullum à fide di-  
 uina, nullum ab Angelo, nullū ab vllō ho-  
 mine lumen, nulla diei mica. In Aegypto  
 tenebræ, vltra triduum, nō durauerunt; La-  
 ponibus, quando sol occidit, noctem vnam  
 ducit, per tres ferè menses brumæ; in infer-  
 no æternæ erūt tenebræ. In Aegyptijs tene-  
 bris, nemo *monit se de loco, in quo erat;* in in-  
 ferno, non ad triduum, sed in perpetuū ma-  
 nebunt, quicumq; eò detrudi merebuntur.  
*sedet, æternumq; sedebit Infelix Theseus. Tene-*  
*bra Cimmeriorum,* prouerbio occasionem  
 fecerunt, ob prodigiosam obscuritatē, quia  
 ibi, vt Homerus canit, sunt

Virgil. lib  
 6. AEn.  
 Strab.  
 li. 1. Geo-  
 graph.

Numi-

- Homeri  
Odyss. l. 12. *Nubibus & caca assidè caligine tectâ.  
Illos haud unquam radijs sol aspicit ardens,  
Nec quando astriferum curru petit arduum  
axem,  
Nec rursum ad terras magno deuectus Olym-  
pympo,  
Sed nox incumbit miseris mortalibus atra.*
- Sab. lib. 6.  
En. 10. *Longè tristius est prouerbium, audire tenebras  
exterioras, desperatas, semper duraturas.*
- Sab. lib. 6.  
En. 10. *ras. Possunt proinde meritò considerari, in  
Aegyptijs tenebris: immo & in Georgorû  
& Alanorum Scythica caligine, apud quos,  
pars regni, trium dierû circuitu, tam densis  
obducta fertur tenebris, vt, ob tenebricosâ  
formidolosamq; caliginem, nemo locum  
subire audeat, neq; cerni aliquid possit, in  
ea densitate tenebrarum. Qui in proximo  
habitant, exauditas aiunt inde voces homi-  
num, gallorum cantû, hinnitum equorum,  
nec horum quidquam visum, regionè ipsam  
Anisen vocari. Talis est sedes dâmnatorum,  
& Luciferi. Nam postquam quintus Angelus  
effudit phialam suam super sedem bestia, factû  
est regnû eius tenebrosum, & commanducauerunt  
linguas suas, præ dolore: & blasphemauerunt  
Deum cali, præ doloribus, & vulneribus  
suis. Eiuscemodi tenebræ nobis in mentem*

Apocal.  
16. 10.

Sunt

sunt vocandæ, quoties nox, cum sole, diem sepelit; vt ad diem & solem nunquam occubiturum, tantò desiderantiùs aspiremus. Multos hæc meditatio, ab Orco, mortuos, in lucem reduces fecit.

## §. XIX.

*Molestia tenebrarum, in aëre, desiderium lucis æterna accendunt.*

Ex his conficitur, grande nos etiam ex aëre obscurato emolumentum capere; quia docemur & monemur, quòd sit *via peccantium complantata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebra, & pœna.* Respuunt homines sæpe pulchram alioqui domum, eo solum nomine, quia parùm luminis habere, neque satis ex dignitate eorum esse videtur.

Discant hinc fugere *terram miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Discant, ad aërè liberio-rem atq; lucidum aspirare. Discant, *in qua via lux habitet & tenebrarum quis, sit locus.* Ita vtique illis & clarus proderit aër, & obscurus. Hoc pacto, per aërem, ascendent ad aëris Conditorem, Bellerophonte velociore, quem Pegasus vexit; feliciores Perseo, qui à Mercurio talaria accepit; Musæo beatiore, qui Boreæ dono fingitur.

voli-

Eccli. 21<sup>a</sup>

11.

Iob. 10.

22.

Iob. 38. 19.

**Pausan.** volitasse ; denique illo laudabiliores , de  
**in Attic.** quo summus Poëta canit :

**Virgil.** *Dedalus ( ut fama est ) fugiens Minoia rē*  
**lib. 6.** *gnā ,*  
**AEncid.** *Præpetibus pennis ausus se credere calo ,*  
*Insuetum per iter gelidas enavit ad Ar-*  
*ctos :*

**Sabellie.** Immò potiùs Magdalenaë similes , quam  
**li. 2. ca. 6.** tradunt , cùm in solitudine esset , statis die  
**& in eius** horis , supra cælum , ab Angelis euectam.  
**vita.** Quod si corpore non licet imitari , fas est  
 tamen imitari affectu. Abaris Scythæ *ἀβάρης*  
*Γάρης* dictus est , quòd , emissa sagitta , quam  
 ab Apolline acceperat , cum ea vnà ferretur ,  
 vt scribit Herodotus & Iamblicus. Fabulam  
 hanc veram facit , quisquis , non telum , sed  
 affectum & desiderium in cælum jaculatur ,  
 & , cōsiderata hinc caligine , inde luce excla-

**Psalms.** *mat : Cor meum conturbatum est in me , &*  
**54. 5.** *formido mortis cecidit super me . Timor & tre-*  
*mor venerunt super me , & contexerunt mi-*  
*tenebra : Et dixi , Quis dabit mihi pennas , sicut*  
*columba , & volabo , & requiescam ? Profectò ,*  
 qui eiusmodi verba , velut ignitas sagit-  
 tas ad DEVM sæpe effuderit : si non vnà cum  
 illis , saltem post illa tandem , & corpore &  
 animo sequetur . Solent corpora hominum

eo trahi, quò desideria præcesserunt. Desideria autem hæc, quemadmodum caelesti luce inflammantur, ita gliscere incipiunt nausèa tenebrarum; atque horrore caliginis efferuescunt.

CAPUT VI.

*Beneficia Dei, ab Aquis, ob qua meritisimò eum Sancti laudauerunt; & impatientes laudare deberent.*

§. I.

*Artificum, & instrumentorum varietas & usus.*



Vemadmodum lyræ vel eitharæ concentus efficitur longè dulcissimus, quâdo manus apta, ad nervorum eliciendos sonos, accedit, & fides ad rectam intentæ sunt proportionem; quòd si verò magister desit, aut fides laxatæ, necesse est, illam perire concianitatem; quippe & ars requiritur, & temperatio, sine qua nervi vel nullum, vel absurdū sonum edunt: ita DEVS ludit in orbe terrarū, Prou. 8.  
ita ipsi etiam terrarū incolæ homines. DEVS 3.  
vs artifex est optimus, plectrum semper re-